

mirum videtur esse quod dico, ne illud quidem Iudae  
5 peccatum dixerim vires excedere potuisse paenitentiae.  
Propter quod deprecor et exoro ut omnem diabolicam  
cogitationem repellas et effuges a mentibus tuis et velo-  
cius te convertas ad viam salutis. Etenim si subito te et  
ex integro ad illum priorem virtutum verticem cogere,  
10 merito trepidares, merito difficile factu putares, cum vero  
hoc a te nunc expetam tantum ne augescas in malis neque  
per dies singulos perditionis incrementa perquiras sed ut  
desinas tantum et a peccando iam cesses, cur dubitas et  
cunctaris et retrorsum revocas pedem ac solam saltem  
15 cogitationem bonorum recipere formidas? Quid enim?  
Ne ipsius quidem tibi libidinis satietas ullum adhuc fas-  
tidium reddit? Quid profuit illis qui in luxuria corporis  
et praesentis vitae voluptatibus usque ad diem ultimum  
permanserunt? Intuere nunc sepulcra eorum et vide si  
20 est aliquod in eis iactantiae suae vestigium, si aliqua divi-  
tiarum vel luxuriae signa cognoveris. Require ubi nunc  
vestes et odoramenta peregrina, ubi spectaculorum vo-  
luptas, ubi asseclarum turmae et conviviorum? Cessit  
opulentia, risus et iocus et immoderata atque effrenata  
25 laetitia, quo abiit? Quo abscessit? Ubi illa nunc et ubi ipsi?  
Qui finis utrorumque? Intuere diligentius et accede pro-  
pius ad singulorum sepulcra et vide cineres solos et foeti-  
das vermium reliquias et recordare hunc esse corporum  
finem, etiamsi in deliciis et laetitia, etiamsi in labore et  
30 continentia transegerint vitam. Et atque utinam res omnis